

177

Sammelband

Ka

+

5.

EXERCITATIO PHILOSOPHICA
DE
DETERMINATIONE
CAUSÆ INSTRUMENTALIS ET
PRINCIPALIS, UNIVERSALIS
ET PARTICULARIS

Q V A M

DEO O. M. ADIUVANTE

&

AMPLISSIMA FACULTATE PHILOSOPHICA
IN ILLUSTRIS AD ELMUM JULIA
CONSENTIENTE

Placide Φιλοσοφόντων disquisitioni subjicit

PRÆSES

M. VLTRICVS Garding
HILDESIENSIS

RESPONDENTE

HENRICO STATIO Brümmer
HAMELENSI

IN NOVO PHILOSOPHORVM AUDITORIO

Ad Diem Januarii.

— (o) —

HELMESTADI,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. typ.

Anno MDCCCLXXII.



EXERCITATIO PHILOSOPHICA

DE TERMINATIONE
CAUSAE INTELLECTUALIS

DEO. O. M. A. G. O. N. I. I.

AMPLISSIMA FACULTATE PHILOSOPHICA
UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

M. V. L. R. I. C. V. S. G. R. A. E.

HELVETICO STATU S. M. A. R. T. I. N. I.

T. D. H. M. I. N. I. S. T. R. A. T. I. O. N. I. S.

ANNO 1774





ΠΡΟΑΥΛΙΟΝ.

Si magna est causarum varietas & latitudo, obtinuit tamen jam ab Aristotelis tempore. Vid. v. Met. 2. & 2. Phys. 3. ut eæ à p̄terisque philosophis ad quatuor genera revocentur, ad EFFICIENTEM, MATERIALEM, FORMALEM & FINALEM. Quæ doctrina huic videtur inniti fundamento, quòd, cùm vel quotidie aliquid novi in rerum natura fieri cernamus, requiratur res aliqua, à qua fiat, NIHIL enim, ut habet decantissimum & certissimum axioma, FIT A SEIPSO. Et hæc est causa EFFICIENS; quæ vel increata est vel creata. Increata, quamvis ex nihilo aliquid producere valeat, cùm tamen quædam res essentialem in fieri à subiecto dependentiam involvant, necessariò quandoq; præsupponit illud. Creatæ virtus ita est limitata, ut ex nihilo aliquid producere nequeat, actioni itaque ipsius substerni itidem subiectum oportet ad productionem rei alterius unâ concurrens, quod est Causa MATERIALIS. Porrò quoniam res, quæ de novo producuntur, non omnes eadem essentiâ gaudent, sed variè à se invicem discernuntur, causæ materiali, in qua omnes convenire possunt, introductum aliquid esse debet diversitatem & differentiam hanc faciens; & hoc est Causa FORMALIS. His jam accedit quarta Causa, FINALIS hinc originem suam trahens, quòd Causa efficiens non temere aut casu ad operandum vel producendum aliquid se accingat, sed vel scopum, ad quem tendat, sibi ipsi præfigat,

vel à superiori ad talem præfixum dirigatur. Vide latius hæc deducentem Svaresium disp. Met. xii. sect. 3. n. 2. Unaquæque harum Causarum variè rursus dividitur, ut vel ex Compendiis Metaphysicis notum est. Inter Causæ Efficientis divisiones eminent duæ; altera, quâ Causa hæc distinguitur in PRINCIPALEM & INSTRUMENTALEM, altera, quâ dicitur esse UNIVERSALIS & PARTICULARIS. Hæ Causæ, cum ita in operando à se invicem dependeant, ut Instrumentalis quidem nunquam sine Principali, hæc quandoque non sine illa, universalis non sine particulari, hæc nunquam sine illa agere possit, ideò à Philosophis essentialiter subordinatæ vocantur; Ex concursu autem earum non potest non fieri mutua determinatio. De hac, quomodo in his causis se habeat, quicquid hætenus in variis autoribus observatum nobis est, exercitatiunculâ aliquâ summam ob oculos ponere placidæque philosophantium disquisitioni subicere constituimus. Ne autem *ei me Jódas* progrediamur, tribus capitibus nos expediemus, quorum primo ea, quæ reliquis fundamenti loco esse poterunt, proposituri dictarum Causarum s. definitiones s. descriptiones & varios determinationis modos in medium afferemus; secundo certis conclusionibus, quomodo Principalis Instrumentalem & hæc illam, tertio, quomodo Universalis particularem & hæc illam determinet, comprehendemus, easdemque, quantum per ingenii tenuitatem fieri poterit, firmis rationibus stabiliemus. Faxit Deus ter O. ter M., ut, quicquid molimur, vergat in divini nominis sui gloriam nostrumque & aliorum emolumentum. Sit jam

CAP.

CAPVT I.

I. Rectè quidem & instituto nostro convenienter ageremus, si caput hoc à definitione Causæ Efficientis in genere, à qua specierum notitia dependet, ordiremur, sed cùm tantum non infinita harum varietas accuratam ejus definitionem videatur respuere, ideò, ne qualemcunque, quæ essentiam ejus non sufficienter declaret, tradere cogamur, ideò potiùs ab eo abstinemus id operam daturi, ut accuratè istarum causarum naturæ, quæ utramque nobis hïc paginam facient, evolvantur.

II. Causa Principalis commodissimè cum Suaresio disp. Met. xv i. sect. 2. n. 18. quem B. Sthalius sequitur, videtur definiri posse, quòd sit illa, quæ influit in effectum virtute non ignobiliori, quàm ad ipsum producerdum requiritur. Loco generis stant hæc verba: *influit in effectum*, hoc enim commune habet hæc Causa cum aliis Causæ Efficientis Speciebus; reliqua absolvunt differentiam, per ea enim non tantum ab aliis Causis Efficientibus, sed & à contradistincta sibi specie Instrumentali distinguitur. Sensus autem eorum hic est: Virtus Causæ hujus est proportionata & sufficiens ad productionem effectus, nec eget virtute alterius Causæ, à qua elevetur, adjuvetur, promoveatur. Talis causa est homo respectu scriptiois, sectionis aliarumque actionum item Sol respectu calefactionis. Dices: Causa Principalis sæpe indiget concursu Universalis causæ. Sic homo & Sol non possunt operari, nisi concurrente Deo. Ad hæc respondeo verbis Suaresii disp. & sect. cit. *Licet interdum Causa Principalis indigeat concursu superioris causa ob generalem rationem Entis participati, non tamen ob specialem improportionem eum effectui ideòq; solum indiget concursu sibi ratione sua perfectionis debito.* Scilicet indigentia illa non arguit causæ istius improportionem ad effectum sed dependentiam tantum in essendo & eatenus in operando.

III. Ex his jam facile dispalescit, quæ sit *Causa Instrumentalis*. Est nimirum illa, quæ influit in effectum virtute ignobiliori s. non proportionata & sufficienti ad effectum producendum adeoque eget ab alia causa elevari. Vis ejus, inquit iterum Suarez l. c. improporcionata est & insufficientis & habet vim operandi juxta mensuram virtutis & elevationis principalis. Talis causa est calamus respectu scriptiois, securis respectu fissionis.

IV. *Causa Universalis* est, cujus in effectum influxus est de se ita illimitatus & indifferens, ut simul eodem modo in plures diversissimos influat vel influere possit. Particularis est, à cujus influxu effectus habet esse determinatum. Sic Deus est causa universalis actionum & effectuum, qui à causis particularibus creatis producuntur, indifferenter enim & illimitatè in eos influit & quod actio ejus nunc calefactio est, illud habet à simul concurrente causa particulari v. g. igni. *Deus & ignis*, inquit petrus Hurtadus de Mendoza disp. Phys. x. sect. iv. n. 35. *concurrunt ad calefactionem, concursus Dei ex se est indifferens ad calefaciendum & infrigidandum, unde in solo Deo, ut est præcisè causa universalis, non intelligimus, cur eius actio debet esse calefactio potius quàm frigidatio, unde non dicimus, hanc actionem esse calefactionem, quia oritur à Deo, at verò ignis ex se est determinatus ad calefaciendum, nec enim est indifferens ad infrigidandum & dum concipimus ignem perentem concursus Dei ad agendum, intelligimus eos concursus esse ad calefaciendum. Ecce hæc vera causalis: hæc actio est calefactio, quia oritur ab igne & sic determinatur Voluntas Dei per calorem, ut velit cum eo concurrere ad calefaciendum.* Et tantum de harum Causarum definitionibus. Sequitur, ut agamus de Determinatione.

V. De voce Determinationis non magnopere erimus solliciti, cum ex variis ejus modis, quos proponemus, facile possit cognosci, quo sensu & significato à philosophis

phis usurpetur, interim fatendum est, eam aliã, quã propriissimã significatione, quã limitum designationem denotat, sumi.

VI. Est Determinatio triplex, docente B. Slevogt disp. pract. iv. § 59; Alia quoad genus seu exercitium, quæ fit vel positivè vel negativè, positivè, vel physicè vel moraliter; alia quoad speciem actus, alia quoad individuationem actus, Cujus doctrinæ fundamentum hoc est, quod actio aliqua possit trifariam considerari 1. quoad esse genericum, prout est simpliciter actio aliqua 2. quoad proprium & specificum, quatenus est actio talis speciei 3. quoad esse individuale, prout est hæc in singulari, hæc numero actio.

VII. Determinatio quoad exercitium positivè fit, quando una causa alteram ad agendum elevat, movet & impellit, idque vel physicè vel moraliter, physicè, per influxum s. motionem physicam, moraliter per motionem moralem, quæ plerumque est præceptum vel mandatum, negativè fit, quando una causa necessariò requirit alterius concursum illaque non cooperante operari nequit.

II. Determinatio quoad speciem actus fit ab illo, à quo est ut actio & res producta sit hujus vel illius speciei, vel cum ea causa, quæ ex sese tam unius, quã alterius speciei actionem indiscriminatim edere potuisset, ab alia limitatur & contrahitur, ut hujus certæ speciei non alterius producat actionem.

IX. Determinatio quoad individuationem actus fit ab ea causa, à qua est, ut jam hic actus in singulari exerceatur v. g. hæc & non alia sectio, hæc numero scriptio.

CAPVT II.

I. Traditis iis, quæ ad reliquorum cognitionem videbantur facere, nostram statim sententiam certis Conclusionibus

clusionibus comprehensam proponemus; & hoc quidem capite, uti promisimus, quomodo mutua Causæ Principalis & Instrumentalis se habeat determinatio, ostendemus. Sit g.

CONCL. I.

Causa Principalis determinat instrumentalem quoad exercitium positivè vel physicè vel moraliter.

II. Ratio in promptu est: Quicquid aliam causam ad agendum elevat, movet & impellit, id determinat eam quoad exercitium positivè. Sed Causa Principalis Instrumentalem ad agendum elevat, movet & impellit. Major in aprico est posita, superiori n. cap. positivam alterius quoad exercitium determinationem in hoc consistere diximus, ut ad agendum eleveretur, moveatur, impellatur. Minor patet inductione. Homo est Causa Principalis respectu scriptionis, calamus Instrumentalis, quod si hic ad scribendum adhiberi debeat, elevatur ab homine. Eadem ratio est hominis & securis. Paterfamilias est causa Principalis negotiorum in domo conficiendorum, servus Instrumentalis, quod si hic negocia aliqua expedire debeat, movetur ab illo moraliter vel per jussionem vel consensum.

CONCL. II.

Causa Principalis determinat instrumentalem quoad exercitium negativè.

III. Hæc Conclusio jam ex præcedente patet. Quod si enim Causæ Principalis motio vel physica vel moralis requiritur ad hoc, ut Causa Instrumentalis possit agere, utiq; ab ea determinatur negativè. *Nisi principalis moveat instrumentalem*, inquit B. Slevogtus disp. cit. § 52. *Instrumentalis non agit*; neque enim in ferrum agere potest malleus, nisi faber eum moveat, securis lignum findere nequit, nisi à fabro lignario eleveretur.

CON.

CONCL. III.

*Causa principalis determinat instrumentalem quoad
individuationem actus.*

IV. Quicquid facit, ut hic numero actus hoc tempore, hoc in loco & quæ sunt aliæ conditiones individuantes exercentur, id determinat alterum quoad individuationem actus. Sed hoc facit Causa Principalis E. Considerentur exempla & res erit manifestissima.

CONCL. IV.

Causa instrumentalis determinat principalem quoad exercitium quandoque negativè.

V. Notanter dixi *quandoque*. Actiones enim & effectus, qui à causa Principali proficiscuntur, sunt in duplici potissimum differentia. Quosdam sola non cooperante simul Instrumentali, eosdem tamen ita quoque producere potest, ut in consortium admittat Instrumentalem. Sic puer mediante fistula in candelæ flammam efflare, eamque delere, idem tamen sine ea perficere valet. Quosdam non nisi beneficio Instrumentalis edit adeoque necessariò utitur Instrumento. Sic faber lignarius lignum non nisi beneficio securis findere potest. Tunc itaque Causa Principalis negativè determinatur ab Instrumentali, quando illa ex eorum agentium numero est, quæ necessariò utuntur Instrumentis.

CONCL. V.

*Causa instrumentalis determinat principalem
quoad speciem actus.*

VI. A qua causa est, ut hujus & non alterius speciei actus exercentur, illa determinat alteram quoad speciem actus. Sed à Causa Instrumentali hoc est E. sic à securi actus habet, ut sit fissio; à serra, ut sit sectio; à calamo ut sit scriptio. Et tantum de Causæ Principalis & Instrumentalis determinatione. Sequitur

B

CAP.

C A P. III,

I. Antequam eodem, quo superiori capite, progrediamur modo, notari volumus, nos non de Causæ Universalis & particularis in genere, sed tantum de Causæ primæ Universalis, quæ est Deus & particularis creatæ sive secundæ determinatione acturos; idque ideò, quòd inter omnes saniores Philosophos concessum sit, Deum verè esse talem causam, de reliquis, quæ pro talibus à nonnullis venditantur, à non paucis dubitetur, quòdque Deus quoque sapius causa particularis sit, cum quo tamen tum non universalis aliqua, quæ eam determinet, concurrat. Sit jam

C O N C L. I.

Causa prima universalis DEVS determinat particularem creatam s. secundam quoad exercitium negativè.

II. Hæc Conclusio cum jam olim à Durando ex Scholasticorum numero & hoc nostro seculo à Nic. Taurillo in lib. de rerum æternitate & triumpho Philos. nec non Ludovico à Dola Capuccino Burgundo in dubium vocata fuerit & fortassis adhuc hodie à multis vocetur, ideò solidè nobis probanda erit. Argumentamur pro ea ita: Sine cujus causæ influxu altera agere nequit, ab illa determinatur quoad exercitium negativè. Sed sine causæ Universalis DEI concursu particularis creatæ s. secundæ agere nequit E. Major extra omnem dubitationis aleam est posita. Minorem ita confirmo: Si Causæ particulares creatæ à causa prima universali DEO dependent in esse, dependebunt etiam ab ea in operari. Sed verum est prius E. & posterius. Major nititur axioma illo: *Modus operandi sequitur modum essendi*, quod axioma, docente Adr. Heerebord, Philosopho acutissimo disp. x. vol. I. tam evidens visum est Aristoteli, ut licet ad gravissimas questiones enodandas assumeret, nunquam tamen ipsum probare vel tentaverit vel labora-

boraverit. Minorem ut ab omnibus sanæ mentis homini-
bus concessam possemus supponere. Certè inter Chri-
stianos de ea nulla dubitatio esse potest; & ex Ethnicis eam
cum alijs pro vera agnoverunt Philosophorum Coryphæi,
Plato & Aristoteles; ille, quando non uno in loco Deum
factorem & parentem hujus universi vocavit; hic, quando in
lib. 1. Met. 2. *Deus, inquit, omnibus causa & principium aliquod*
esse videtur, verbo, videtur, utens non quod dubitet, sed quia
ea de re ibi incidenter tantum & non ex instituto agit, ut docet
B. Slevogtus disp. Theoret. xi. §. 13. & in lib. de mundo, si
ejus est c. vi. *antiquus quidam & patrius sermo est apud*
omnes homines, quod à Deo sint omnia. Videmus ta-
men, annon ratione aliquâ eam possumus stabilire. Consi-
deretur hoc argumentum: Quicquid est, hoc ipsum quod
est, per participationem, id est ab eo, cui per essentiam con-
venit esse tale. Sic ferrum ignitum quia per participationem
tale est, habet illud esse ignitum ab igne, qui per essentiam
est ignitus. Sed causæ particulares creatæ sunt id ipsum,
quod sunt, per participationem, E. habent esse suum ab eo,
quod habet esse per essentiam, quod est Causa prima Uni-
versalis Deus, *deveniendum est ad unum, quod à nullo est, nisi*
quis processum velit admittere in infinitum, quo nihil absurdi-
us, ait supra laudatus Heerebord. disp. select. xvii. vol. 2.

III. Possemus jam argumenta, quibus Durandus &
alij Conclusionem hanc luxare conantur, excutere, sed
quoniam id ab alijs satis feliciter præstitum est, ideò actum
agere nolumus. Interim, qui volet, poterit ea refutata vide-
re à B. Slevogto disp. Pract. iv. Herebordo disp. cit. §. 6.
seqq. & cum primis à Pl. Reverendo Dn. Rixnero, Patrono
& Præceptore meo æternum colendo disp. de Concurf.
Causæ primæ cum secundis §. 24. & seqq. ubi præter Du-
randi argumenta Taurelli quoque objectiones retundun-
tur.

CONCL. II.

*Causa particularis creata determinat universalem DEVM
quoad exercitium actus positivè.*

IV. Rectè Suarez disp. cit. sect. IV. n. 5. *Causa secunda determinat concursum primæ quoad exercitium, quia natura sua hic & nunc determinatè postulat exercitium talis actionis. Quod si enim Deus ordinariè suum concursum causis particularibus, quoties ad operandum se quasi accingunt, commodat, utique determinatur ab ijs quoad exercitium actus positivè. Jam verò unanimis omnium saniorum Philosophorum consensus est, Deum non denegare, sed ab æterno decrevisse, quoties causa particularis effectum aliquem producere intendat, se ei concursum suum esse præbiturum. Liberè decrevit Deus, inquit Pl. Reverend. Dn. Rixner. disp. cit. §. 42. se utpote agens nobilissimum cum qualibet causa secunda, prout exigit ejus natura, ad quoslibet effectus producendos velle concurrere, cum quo consentit sæpius laudatus Slevogtus disp. cit. §. 19. Deus, agens, quum ab æterno decrevit causas secundas è nihilo producere & in esse producto conservare, simul quoque decrevit infallibiliter cum eis concurrere ad earum actiones. Et Suarez disp. & sect. cit. n. 3. Postquam decrevit (DEUS) causas secundas efficere & conservare, infallibili lege cum eis concurrat ad earum operationes, quæ lex si absolutè sumatur, nullam supponendo particularem & definitam Dei Voluntatem non inducit necessitatem, sed solum est quasi debitum connaturalitatis, unde interdum Deus dispensat in ea lege negando hujusmodi concursum. Hinc alij Dd. Scholastici & Jesuitæ docent, hominem posse uti pro suo arbitratu concursu Dei non aliter, ac si esset habitus inhærens. Mendoza disp. cit. sect. 3. Influxus Dei in actum primo est Voluntas divina parata cum homine concurrere, à qua Voluntate causa secunda dicitur proximè potens — hæc Dei Voluntate possumus uti, prout libuerit non aliter, ac si esset habitus noster, aut species impressa.*

Et

Et Vega l. 6. in Trident. c. 7. citante Suarez l. c. *Concursum Dei generalem docet esse immediate in potestate nostra etiam, quando non operamur.*

CONCL. III.

Causa particularis creata determinat universalem DEVM quoad exercitium negativè.

V. Probatur: Cujus causæ concursus s. influxus est illimitatus & indifferens, illa necessariò requirit alterius concursum, qui illum determinet, si necessariò, utique sine illa influere nequit & consequenter determinatur negativè. Sed Causa Universalis Deus ita se habet E. Major & minor sunt manifestæ ideoque confirmandis ijs non immorabimur. Sed pergimus ad Conclusionem ultimam.

CONCL. IV. & ultima.

Causa particularis creata determinat universalem DEVM quoad speciem actus.

VI. Ratio in promptu est: A qua causa actus habet, ut sit hujus vel illius speciei, ab illa determinatur altera ^{speciem actus} negativè. Sed à Causa particulari s. secunda hoc habet actio E. Sic ab igni habet, ut sit calefactio, à securi ut sit sectio. Juvat hinc præter verba Mendozæ primo cap. allegata nonnulla Celeberr. Dn. D. Petri Musæi negotium hoc maxime illustrantia in medium afferre. Sic ille in Instit. Metaph. c. xv. §. 18. *Est actio Dei in quantum Dei est indifferens & indiscreta, adeò ut non magis hunc quàm alios diversissimæ naturæ effectus respiciat. Dicimus: in quantum Dei, absolute namque & Dei actio ad certam speciem est determinata, siquidem Deus ad totam effectus substantiam & sic non modo ad esse genericum, sed ad proprium quoque & specificum* (His verbis tanguntur qui Deum tantum ad esse genericum non ad actionis esse specificum concurrere docent, quibus Adr. Heerebord annumerat Præceptorem suum Burgersdiciam l. 2. Met. c. xi. §. 7, ita loquentem: *Causa Universalis indifferen-*

erenter se habet, eademque virtus concurrat ad omnes creatu-
rarum actiones, ideoque specificatio actionum non Deo, qui est
Causa Universalis sed ipsis creaturis adscribenda est, ideoque quod
homo se moveat, Deo debetur, sed quod motus iste sit ambulatio,
homini tribuendum ideoque non Deus, sed homo dicitur ambu-
lare. Sed facile hi refutantur, cum nemo possit concur-
rere ad esse genericum rei, nisi concurrat idem ad esse spe-
cificum & individuale, quia in esse genericum continetur
& est in esse specifico & utrumque includitur in esse in-
dividuali. Nam motus in genere non existit, nisi sit am-
bulatio aut similis actio in specie) concurrat, adeo ut illius &
concurrentis causa particularis quoad rem sit prorsus una actio,
veruntamen determinatio ad talem speciem non competit isti
actioni, quatenus est a Deo tanquam a Causa Universalis, sed qua-
tenus a causa particulari procedit. Sicut actio Dei concurrentis
cum igne aut alia re calefaciente est calefactio, concurrentis cum
corpore frigefaciente est frigefactio, concurrentis cum scribente
est scriptio & ita est semper actu & simpliciter certa alicujus
speciei actio, quae tamen si consideretur, quatenus est praecise a
causa Universalis Deo, specie indifferens est, adeo, ut non appare-
at, utrum calefactio sit an frigefactio vel alius speciei actio.
Quocirca querenti, quare hac vel illa actio sit calefactio, non
recte respondemus, quia a Deo est, quum & frigefactio aliaque
diversissima actiones ab ipso dependant. Est autem ignis & quod-
vis corpus calidum natura determinatum ad calefaciendum, cor-
pus frigidum ad frigefaciendum, unde recte & convenienter di-
scimus, actionem hanc vel illam esse ideo calefactionem, quia est ab
igne, frigefactionem vero, quia est a corpore frigefaciente. Pro-
inde quod Dei actio, quae ex parte ipsius indifferens & illimitata
est, nihilominus absolute ad certam speciem sit determinata, con-
currenti causa particulari acceptum est ferendum. Haec Celeb.
ille Philosophus & Theologus. Idem statuunt ex Schola-
sticis & Jesuitis, quos mihi videre contigit, fere omnes.

VII.

VII. Hanc tamen Conclusionem & reliquas evertere conatur sæpius citatus Adr. Heerbord disp. x. vol. i. §. 3. & 4. duobus argumentis, quorum primum hoc est: *Qui concursus Dei faciunt determinabilem & determinari asserunt à concursu causa secunda, illi indigentiam, potentialitatem & imperfectionem Deo attribuunt, quod Deo est indignum & injurium.* Atqui Adversarii &c. Secundum ita proponit: *Si concursus Dei esset indifferens & determinaretur à causa secunda vel ut clarius loquar: Si Deus expectat concursus Voluntatis nostræ, non solum determinabitur Dei concursus, sed Deus ipse, id est non solum determinabitur ejus actio, sed ipsemet, qui est causa & principium actionis. Hoc est absurdum E. & illud.* Sed hæ rationes tanti non sunt, ut nos à sententia per tot secula à viris longè doctissimis recepta & approbata dimovere possint. Ad primum respondeamus negando ejus majorem. Quod secundum attinet. non putamus absurdum esse, quod ille pro tali habet. Nam utar verbis Pl. Reverend. Dn. Rixneri disp. cit. *determinatio, quæ causa secunda determinat primam, non est physicus aliquis & realis influxus, qui in Deo recipitur per potentiam passivam, sed Dei influxus dicitur determinari, quando causa secunda seipsam determinat ad aliquod objectum & ita ansam suppeditat, ut Deus adjuvet & applicet suam potentiam ad idem objectum vi ordinis naturalis juxta leges sue sapientia & providentia sic instituti.* Deinde non expectat Deus determinationem, quasi ipsa adeò indigeat, ut sine ea ac creatura concursu omnino operari non possit, sed quatenus ex liberrima voluntate se applicari patitur. Nec juvat Heerebordum ratio pro utroque argumento stabiliendo allata, quòd scilicet *determinans semper perfectius sit eo, quod determinatur; falsissimum hoc esse dicimus; sequeretur enim exinde, omnem causam Instrumentalem esse perfectiorem principali, cum instrumentalis principalem determinet, ut sup. cap. ostendimus,*



dimus, quo tamen nihil absurdius esse potest, cum Prin-
cipalis sæpissime Instrumentalem longo post se interval-
lo relinquat.

II X. Restaret nunc discutienda nobilissima quæ-
stio, utrum Causa prima Universalis DEUS secundam, an
hæc Deum ad individuationem actus determinet, sed cum
tot spinosis opinionibus & rationibus à Scholasticis sit in-
voluta, ut qui ex hoc Labyrintho se extricare velit, vel
Theseo præcursores opus habeat, idè per ingenij tenui-
tatem nunc quidem in eam descendere nobis non licet
reservaturi eam, si Deus vires & patronos concesserit,
commodiori occasione.

I X. Hæc itaque loco exercitij Academici suffici-
ant. Aut profer meliores epulas & me convivâ utere,
aut qualicumque hæc nostra coenulâ contentus esto.

Hieron. Apol. ad Pammach,

F I N I S.



99 A 6993 (1)

ULB Halle 3
002 826 593





f
Sb.

V 8 17

Retra ✓







5.
EXERCITATIO PHILOSOPHICA
DE
DETERMINATIONE
CAUSÆ INSTRUMENTALIS ET
PRINCIPALIS, UNIVERSALIS
ET PARTICULARIS
Q V A M
DEO O. M. ADIUVANTE
&
AMPLISSIMA FACULTATE PHILOSOPHICA
IN ILLUSTRIS AD ELMUM JULIA
CONSENTIENTE
Placida Φιλοσοφέντων disquisitioni subjicit
PRÆSES
M. VLRICVS Garding
HILDESIENSIS
RESPONDENTE
HENRICO STATIO Brümmer
HAMELENSI
IN NOVO PHILOSOPHORVM AUDITORIO
Ad Diem Januarii.
~~1790~~
HELMESTADT,
Typis HENNINGI MULLERI Acad. typ.
ANNO MDCCCLXXII.

